Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

transfusa imaginarium conspectum facit. sed aliud mente conspicio secundum quod
in opere illo mihi placet unde etiam si displiceret corrigerem. Itaque de istis secundum
illa iudicamus et illa cernimus rationalis mentis intuitu. ista vero aut presentia
sensu corporis tangimus aut imagines absentium fixas in memoria recor
damur. aut ex earum similitudine talia fingimus qualia nos ipsi si uellemus
atque possemus etiam opere moliremur. aliter figurantes animo imagines corporum
aut per corpus corpora uidentes. aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram
talium figurarum super aciem mentis simplici intellegentia capientes. De verbo
VII. In illa igitur eterna ueritate ex qua temporalia quod mens ex eterna concipit ueritate.
facta sunt omnia. formam secundum quam sumus et secundum quam vel in nobis vel in cor
poribus uera et recta ratione aliquid operamur uisu mentis aspicimus atque inde
conceptam rerum ueracem noticiam tamquam uerbum apud nos habemus. et dicendo
intus gignimus nec a nobis nascendo discedit. Cum autem ad alios loquimur uer
bo intus manenti ministerium vocis adhibemus aut alicuius signi corporalis
ut per quandam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo
audientis quale de loquentis animo non recedit. Nichil itaque agimus per membra
corporis in factis dictisque nostris quibus vel approbantur vel improbantur mores hominum
quod non uerbo apud nos intus edito preuenimus. Nemo enim aliquid uolens facit quod
non in corde suo prius dixerit. Quod uerbum amore concipitur siue creature
siue creatoris. id est aut nature mutabilis aut incommutabilis ueritatis.
Ergo aut cupiditate aut caritate. non quo non sit amanda creatura. sed si ad
creatorem refertur ille amor non iam cupiditas sed caritas erit. Tunc enim est
cupiditas cum propter se amatur creatura. Tunc non utentem adiuvat sed corrumpit
fruentem. Quali amore diligi debeat creatura.
VIII. Cum ergo aut par nobis aut inferior creatura sit. inferiore utendum est ad deum
pari autem fruendum sed in deo. Sicut enim teipso non in teipso frui debes. sed
in eo qui fecit te. sic etiam illo quem diligis tamquam teipsum. Et nobis ergo et fratribus